

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XXIX. Sed sit vitae probatae & omnis generis virtutibus ornatus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

tas Theol. non esse admittendum, nisi demonstret Studiosus Theologiæ, se in terminis inculpatæ tutelæ fuisse, & à magistratu à crimine & pœna homicidii absolutum esse, hac verò factâ solidâ probatione & demonstrati-
one, quod scil. in nudis terminis moderatio-
nis inculpatæ tutelæ steterit, & propterea à Magistratu Ordinario à crimine & pœna ho-
micidii judicialiter absolutus sit, admitti pos-
se. Confer *Consilia Witteb.* part. II. pag. 49. *D. Tarnovianæ* Minister. Eccl. lib. I. cap. 21. pag. 252. De criminibus, quæ hominem ad Mini-
sterium Ecclesiasticum promovendum im-
pediant, vel promotum dejiciant prolixè a-
git *Claud. Espenceus* Com. in Epist. I. Tim. Digress. lib. III. cap. IX. & XI.

XXIX.

Sed sit vitæ probatæ & omnis gene-
ris virtutibus ornatus.

Ἐξ ἡμῶν.

DEUS O. M. in V. T. singularem quendam
à Sacerdotibus sanctitatē postulabat su-
pra eam, quæ toti populo erat imperata. Le-
vit. XXI. 6. *Sancti erunt Deo suo & non polluent
nomen Dei sui.* & vers. 8. *Sint sancti, quia & ego
sanctus sum, qui sanctifico vos.* Docere etiam
hoc ipsum voluit Dominus in Veteri lege sub
sym-

symbolis quibusdam ac figuris. Omnis enim ille externus splendor & ornatus summi Sacerdotis, qui Exod. XXVIII. describitur, ostendit, quanta pietas, sanctitasque à Ministro Ecclesiæ requiratur, ut explicant *Ishelius* lib. VI. in Levit. cap. 21. & 22. & *Gregorius M* Epist. 24. Confer eundem in Pastoralis lib. 2. & *Isidorum* lib. III. de Summo Bono, itemque *Hieronymum* Tom. III. epistola ad Fabiolam. S. Paulus Concionatorum omnium antesignanus & veri magnique Oratoris exemplar in Informatorio seu Pastoralis suo, quod Verbi Præconibus reliquit, h. e. Epistolis ad Timotheum & Titum, inter Doctorum Ecclesiæ qualitates & requisita principe loco ponit *vita sanctimoniam & morum honestatem*. i. Tim. III. 2. seq. Oportet, inquit, Episcopum (omnem videl. cuicumque Ecclesiæ præsit, sive illustri, sive obscuræ, sive magnæ, sive parvæ,) esse ἀνεπίληπτον (πᾶσαν εἶπεν ἀρετὴν, ἀνεπίληπτον εἶπὸν, inquit *Chrysostomus* Hom. X. in i. Tim. 3. i. e. hoc unico verbo, irreprehensibilem, omne genus virtutis expresit,) irreprehensibilem, anius uxoris virum sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, didacticum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed modestum, non pugnantem, non cupidum argenti & c. & disertè addit v. 15. hac tibi scribo, ut

scias

scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuer-
sari, quæ est Ecclesia Dei vi. cap. VI. II. Tu ô
homo Dei, hæc fuge (avaritiam scil. & ambitio-
nem,) sectare verò justitiam, pietatem, fidem,
charitatem, patientiam, mansuetudinem. Tit.
I. 7. Oportet Episcopum esse ἀνέγκλητον, sine crimi-
ne, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non
iracundum, non vinolentum, non percussorem,
non turpis lucricupidum v. 8. sed hospitalem, be-
nignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.
Præclare Hieronymus epist. I. ad Heliodorum;
Quod si te quoque, ait ad eundem ordinem (Do-
ctorum Ecclesiæ) pia fratrum blandimenta
solicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.
Qui Episcopatum desiderat, bonum opus deside-
rat; Scimus ista; Sed junge, quod sequitur; O-
portet autem huiusmodi irreprehensibilem esse,
unius uxoris virum, sobrium, pudicum, pruden-
tem, ornatum, hospitalem &c. Et sanè si cum
fructu in hoc Officio versari velit divini
Verbi Minister, necesse est, ut vitam vivat
orationi respondentem, ut auditores suos
per rectam doctrinam simul instruat & per
bona exempla, ut præbeat seipsum audito-
ribus suis virtutum omnium formam ac
exemplar, ut illi semper ob oculos positum
habeant speculum bonorum operum,
quod intueantur & exemplar vitæ sanctæ,
quod

quod imitentur. Regula enim virtutum pulcherrima vita docentis. Hinc Apostolus Paulus, quos format populi Magistros, Timotheum & Titum jubet seipsos eorum, quæ docent, exempla præbere. *Esto, inquit, Timotheum instruens, τὸν ὅλον, exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate.* 1. Tim. IV. 12. q. d. vis non contemni? talem te exhibe, ut sis aliis, quos doces, faciendi vivum exemplar, morum norma, & benè rectèque vivendi regula. Titum quoque eodem modo admonet, inquam: *In omnibus Te ipsum præbe τὸν ὅλον, exemplum bonorum operum.* Tit. II. 7. ad quæ verba Hieronymus in Comment. Nihil prodest, aliquem exercitatum esse in dicendo, & ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quàm verbo. Fidenter idem Apostolus provocat ad se, tanquam typum imitandum, 2. Thess. III. 9. & 1. Cor. XI. 1. S. Petrus quoque vult, ut Pastores sint τὸν ὅλον τὸν ποιῶν, typi & exemplaria gregis. 1. Epist. V. 3. Qua de re egregiè admonet Heliodorum Episcopum Hieronymus in Epitaphio Nepotiani Tom. I. Oper. fol. 18. *In te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua, & conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; Quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.* Cave
ne

ne committas, quod aut qui reprehendere volunt,
digne lacerasse videantur, aut, qui imitari, ce-
gantur delinquere. Chrysostomus in Epist. ad Ti-
tum scribit; Sit doctrina & exemplar virtutis
tua speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad
imitandum, veluti archetypus & primitiva qua-
dam imago, omnia in se habens, quæ bona & bo-
nesta sunt. Et Homil. X. in I. Tim. III. ait; Ille,
qui regendos alios suscipit, debet vitam habere
immaculatam atque compositam, ut omnes in il-
lum & in ejus vitam velut in exemplar aliquod
excellens intueantur. Idem graviter docet Gre-
gorius M. ad Agnellum, Fuldensem Episco-
pum scribens; In tuis actibus plebi exempla be-
nè vivendi existant. Et quod de Parentibus
scribit Plutarchus de Institutione Puer. rectè
spiritualibus illis parentibus aptabitur; Ante
omnia debent parentes nihil peccando, sed cun-
ctis, quemadmodum oportet, agendo, evidens se-
metipsum liberis exemplar præbere, ut in ipsorum
vitam, velut speculum intuentes, à turpibus di-
ctis, factisque avertantur. De Origene dice-
bat olim Populus; Hic est ille, cujus doctrina
vita respondet, sive ut habet Eusebius Histor.
Eccles. lib. VI. cap. 3. Hic est, qui qualem habet Ver-
bum, talem habet & vitam, & qualem habet
vitam, tale habet & verbum; quo. n. m. quæ do-
cet, agit, & quæ agit, hæc docet. Ad doctrinæ
O effi-

efficaciam plurimum affert momenti, si quæ
 doces alios, in teipso præstes. Quod itaque
 alios monet verbis Doctor ecclesiasticus,
 monstret & exprimat exemplis. Dictis suis
 faciat fidem factis suis. Loquatur non aliis so-
 lum, sed & sibi, ne dum aliis prædicat, ipse
 ἀδόκιμος, *rejectaneus* fiat 1. Cor. IX. 27. Sanè,
 qui docent tantum, & non faciunt, ipsi præ-
 ceptis suis detrahunt pondus. *Oratio, cui facta*
ferunt testimonium, fide digna est, inquit Theo-
 doretus in Tit. 2. Imò efficacius est *vita*, quam
lingue testimonium, iudice Cypriano de duplici
 Martyrio. Et Augustinus Epist. 112. dicit: *Plus*
valet vivendi, quam loquendi modus. Notum
 quoque est illud Menandri; τὸ πᾶν ἔστι πειθάν
 τὸ λέγοντος, καὶ μὴ λόγος, *Vita* docentis persuadet,
 non ipsa oratio. Quantalibet facundiâ & Ar-
 ticâ eloquentiâ quis præditus sit, nisi mores
 orationi respondeant, parum in persuaden-
 dis auditoribus profecerit. Habet, ut obedi-
 enter audiatur, quantacunque granditate di-
 ctionis majus pondus *vita* dicentis, inquit rur-
 sus Augustinus lib. IV. de doctr. Christian.
 cap. 27. Vox illa libentius auditorum cor pene-
 trat quam dicentis *vita* commendat, quia quod
 loquendo precipit, ostendendo adjuvat, ut fiat, ait
 Gregorius M. lib. I. Epist. 24. Tom. 2. col. 652.
Per quam facile est, philosophari verbis; doce me
vita

vitâ tuâ; hæc doctrina est optima, monet Chry-
sostrmus Hom. 30. in Acta Apostol. Non potest
autoritatem habere sermo, qui non iuvatur exem-
plo, docente Casiodoro lib. II. Var. Epist. 8. Sit
domus ministrorum Ecclesiæ quasi quoddam
sacrarium & officina omnium virtutum. Ele-
ganter Bernhardus ad Eugenium lib. IV. Do-
mus Episcopi, ait, sive cuiusque Sacerdotis decet
sanctitudo, decet modestia, honestas morum, disci-
pline custos. Danda itaque sedulo opera futu-
ro Verbi divini ministro, ut non solum ani-
imum instruat scientiâ ad Ecclesiasticam fun-
ctionem necessariâ, sed & mores ita compo-
nat, ut cum fructu illi præesse possit. Præest
autem cum fructu, quando, quos suæ curæ
commisos habet, non solum verbo, sed et-
iam sanctitatis exemplo pascit, illisque non
tantum doctrinâ, sed & vitæ probitate & in-
tegritate præluceat. Et hoc ipsum est, quod
vulgò dicitur; bonum Pastorem non solum
verbo, sed etiam exemplo præire debere, ver-
bo quidem prædicationis sanctæ, exemplo
conversationis inculpatæ & honestæ. Neque
tamen hætenus dicta ita accipi velim, quasi
ad essentiam Officii Pastoralis sive Ecclesia-
stici vitæ sanctimonia necessaria sit, qui Do-
natistarum error fuit, ministerium malorum
inutile & inefficax esse statuendum, qui-
bus